



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Lex X. à S. Paulo data ad Phil. 4. v. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

rate, nec in qualitate, nec in tempore, nec in modo recte rationis prescriptum excedas. 2. In qualibet refectioe ternos mortificationis actus SS. Trinitati offer, aut Christo Domino, B Virgini & S. Angelo C. vel quinos sanctis Christi vulneribus consecra, modicum quid, palato magis arri- dens, sensualitati subtrahendo, aut vilio- raeligendo, &c. 3. Sciatue etiam cultum in lingua tua, ne sensualitatem prodas, ci- bos & condimenta nimium laudando, nec contra male preparatos murmurando, ne- mini detrahendo, carpando, contemnendo, loquere ea que Sacerdotem decent.

Lex X. à S. Paulo data

ad Phil 4. v. 5.

Modestia vestra nota sit omnibus ho- minibus. Præcipue super mensam in- edendo, bibendoq; modestiam, decentiam, civilitatem serva; indecori nihil admitte, oculos, manus, linguam, sensus omnes cu- stodi, ut nemini offendiculo, omnibus edi- ficationi existas: quemadmodum enim no- biles bene educati è moribus & liberali agendi modo à rusticis facile discernun- tur, ita & Sacerdotes à Laicis modestia,

V 5

&

Et morum gravitate distingui oportet. Et quomodo Angelus qui spiam aut Sanctus è cœlo ad nos redire comederet, ita & tibi, ô Sacerdos! comedendum, qui sanctus & Angelus Domini exercituum es. Malachi.

2. v. 7.

Lex X.I. ab Apostolo eodẽm commendata Hebr. 13. v. 2.

Hospitalitatem nolite oblivisci. Hanc Christus Dominus noster Luca. 14. explicat: Cùm facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne fortè te & ipsi reinventent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cœcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione Justorum. Nam ut S. Ambrosius docet: esse hospitem erga eos, qui remunerari possunt, est signum avaritiæ; sed erga egenos esse liberalem, est actus charitatis. Quam multi dictam legem negligunt! tu saltem aliquid è cibo meliore pauperi aut infirmo submitte. Si non pavisti, occidisti, inquit idem Sanctus Ambrosius. S. Gregorius.

rinn.